Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26055
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris.

De iiii^or fontibus salvatoris.

Paradyso quem perdidimus, restitutus est nobis Christus salvator.
Sicut ergo de uno fonte paradysi dirivantur iiii^or flumina ad irrigandum
paradysum, ita de pectoris eius archano procedunt quatuor fontes. ex
quibus hauriuntur quatuor aquarum genera. unde tota per universum mun
dum irrigatur ecclesia. Sunt autem iiii^or fontes veritas. sapientia. virtus.
caritas. Ex his ergo fontibus hauriuntur aque, ex singulis scilicet singule.
Nam de fonte veritatis sumuntur aque iudiciorum, de fonte sapientie
aque consiliorum. de fonte virtutis. aque presidiorum, de fonte caritatis.
aque desideriorum. In aquis iudiciorum cognoscimus quid liceat. vel quid non
liceat. In aquis consiliorum discernimus. quid expediat vel non expediat. Sed
quia electis viris recte per hec gradientibus non desunt temptationes. temp
tantur autem de duobus. aut enim terroribus concutiuntur. aut blandimentis
seducuntur, idcirco armandi sunt contra terrores presidiis divine virtutis.
contra blandimenta desideriis superne caritatis. Desideriis enim meliorum superantur.
ut ait quidam sanctus desideria deteriorum. Vel sic possumus procedere. Quid prodest
nosse quid liceat et expediat. quod utique docent iudicia atque consilia, si
posse perfici minime contingat. Ideo post aquas iudiciorum et consiliorum, que
rende sunt aque presidiorum. Rursum et posse quid valeat, si horum om
nium non fit finis caritas. Recte itaque post iudicia. post consilia. post presidia.
hauriuntur de fonte caritatis desideria, ut videlicet quicquid sapimus aut
loquimur. quicquid operamur aut patimur, eterne vite finis concludat. Sed
ut hec que dicta sunt de fontibus et aquis clarius eluceant, scripturarum testimo
niis puto esse comprobanda. aurique similitudines quas protulimus vermi
culandas argento. De primo quod dictum est iiii^or illos fontes. de pectore Ihesu
manare nullum arbitror ambigere. Quomodo autem ex eisdem fontibus hau
riantur predicte aque, id elaborandum est. Veniat ergo David et dicat quod
ex fonte veritatis procedant iudicia. Hoc certe videtur sensisse cum diceret.
De vultu tuo iudicium meum prodeat. Neque enim vir sanctus iudicium suum diceret,
quod de vultu dei id est de veritate non prodiret. Noverat enim electos dei veri
tatis iudiciis tanquam virga ferrea regi, et quia sub eorum regimine
se esse sentiebat. exultans psallebat. Iudicia domini vera iustificata in se
metipsa, desiderabilia super aurum et l. p. m. et d. s. m. et f. A quibus ne